

6. Ministerio hujus machinæ brevi tempore optima juscula gelatinosa ac sanitati conducentia extrahi possunt nec non infusa & decocta longe efficaciora ex herbis parari, item cornua philosophice calcinari.

DEMONSTRATIO XXVIII.

Aer copiosas humidas particulas in se complectitur.

Experimenta.

1. Quando ex bombarda pneumatica una vice & impetu aer intrusus ejicitur, tunc instar fumi exit & visui nostro se sistit.

2. Nitrum fixum nec non sal ex creta & spiritu nitri paratum, item spiritus acidi concentrati, butyrum antimonii, oleum vitrioli, magnetes aerei sunt, attrahunt multum aquæ ex ipso aere quæ per destillationem separari potest, unde humiditas locorum ex effectu horum magnetum dignosci potest.

3. Subjiciantur oculis varia hygroscopia, v. g. ex chordis quæ fidibus adhiberi solent coniecta, nec non longiora ex funibus per totam structuram domus decurrentia & indice monstrantia humiditatis & siccitatis gradus.

4. Aliud summe sensibile ex corda naturali in avena exstante paratum monstratur.

5. Hygroscopium inventionis Feuerianæ accuratissimum.

6. Aliud quod ex lignis est compositum.

7. Machina composita ex thermometris, barometris & hygrometris ostenditur.

-o motio metri misis eu illud